



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Cap. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

67

VATICINIORVM ISAIÆ
LIBER SECVNDVS.



ACTENVS hæc super ætherei peragen-
da parentis
Promissa, & terris aliquot post sæcula
Christum

Mittendum, Amosides præfaga voce canebat.

Cap. 13. ¹ At nunc fata quibus diuini mole furoris
Obruta procumbet Babylon, fædæque iacebit,
Quasque reposcenti dignas luet impia pœnas
Iustitiæ canimus. Tu Spiritus alme canenti
Os animûmque moue: nil te sine possumus omnes.

² Quisquis es infesti præcurrere numinis iras
Vltrices solitus, terrasque & regna ruinis
Deuota horrificis vero tentare timore,
Sive hoc aligeræ funguntur munere mentes,
Seu vos ô dira tali gaudetis honore,
Quas pater ipse Deum magnas sibi legit in iras;
Ite, secate vagum stridentibus aëra pennis;
Turrigerique huius nebuloso in vertice montis,
Qui super impositas moles sublimis, & astris
Æmulus imperium totius concipit orbis,
Ventura cladis funestum extollite signum,
Lethalique sono pennarum, & vocis acuta
Terrifico clangore, metum mortalibus agris
Insolitum incutite, & mentes turbate labantes.
Ecce etenim ruptis stridenti cardine portis
Irrumpit captam victor crudelis in urbem.

³ Namque ego (ait Dominus) vanas ne fortè putetis
Esse minas, lectam populis è mille iuuentam
Ad sacrum exciui bellum, fortèsque cœgi
Sub noua signa viros, iussos mea damna, meorûmque
Vlcisci, prorsusque meum satiare dolorem.

⁴ Audin' ut intonsi montes, campi que resultent
Armorum sonitu, regûmque ducumque fragore,
Innumeras post se gentes populósq;ue trahentum?

⁵ Scilicet ad Domini fera classica bellipotentis,
Extremis cœiere duces à finibus orbis,
Egregy bello, fama super æthera noti,
Quorum operã & dextras, famulãtiãq; arma parata
Vindicta impendet, laxansque furoris habenas,
Totam quanta patet, latè populabitur oram.

I 2

Venit

Cap. 13.

1. Onus Babylonis
quod vidit Isaias fi-
lius Amos.

2. Super montem ca-
liginosum leuate fi-
gnum: Exaltate vocẽ;
leuate manum, &
ingredientur portas
duces.

3. Ego mandavi fan-
ctificatis meis, & vo-
caui fortes meos in
ira mea, exultantes in
gloria mea.

4. Vox multitudinis
in mōibus quasi po-
pulatorum frequẽtium;
vox sonitus regum &
gentiũ congregatarũ.
Dominus exercitũ
præcepit militiæ belli:
5. Veniẽtibus de terra
procul: A summitate
cæli Dominus, & va-
sa furoris eius, vt dif-
perdat omnẽ terram.

Medorum ex-
ercitus hic in-
telligitur, quẽ
ad Babylonis
subuersionem
suscitaturum
se Deus com-
minat.

6 Ululate, quia prope est dies Domini: quia vastitas à Domino veniet.

7 Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet & conteretur.

8 Toriones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt: Vnusquisque ad proximum suum stupebunt, facies combustae vultus eorum.

9 Ecce dies Domini venit crudelis, & indignationis plenus & ira: furorisque: ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conserendos de ca.

10 Quoniam stellae caeli & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.

11 Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum; & requiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

12 Preciosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.

6 Venit summa dies, & ineuitabile fatum:

Flete senes, ululate nurus, plorate puella,
Vasta repente reddet Deus omnia casu.

Nec procul hinc tempus, quum victa labore iuuentus
Assiduo, turres & propugnacula linquet,
Et frustra dextras victori tendet inertes,

7 Pacemque orabit: soluentur frigore membra
Omnibus, & modo tam violento turgida fastu
Corda virum, magno prostrata timore iacebunt.

8 O dulcem (si fas conferre) puella dolorem,
Quem primo pragnans fert facta puerpera foetu:
Nulla fuga ratio, spes nulla salutis opis-ve
Succurret miseris: sua quisque metu externatus
Confususque animos vultusque, urgente periculo
Consilia abiiciet, nequicquam aliena requirens.

9 Ecce dies Domini venit crudelis, & ira
Funesta plenus: fugite hinc, furor ecce propinquat,
Sua sedens super arma furor caelestis, & alto
Horrida de caelo tempestas ingruit, agros
Et terras olim deuastatura beatas,
Nec super ullus erit de tot modo millibus, omnes
Aut ferrum aut vindex absumet flamma colonos:
Tantum nempe potest maiestas laesa Tonantis
Aetherei, mare cui caelumque & tartara nutant.

Epiphonema

10 Quis sortem illius cladis, quis funera fando
Exaquet? tanta-ne animis caelestibus ira?
Tantus ubique timor, tam Panicus horror ubique
Pectora concutiet fatalis conscia poena,
Ut miseris agrisque metu mortalibus omnis
Lux erepta, oculis tenebras inducat inanes,
Solque die feruens medio, cecidisse repente,
Et pernox possit tenebrescere luna videri.

11 Has mihi terra nocens, ceterum licet urbibus altum
Sustollas turrata caput, tecumque feroces
Mille trahas populos, validis habitata colonis,
Has mihi (ait Dominus) solues tamen impia poenas.
Faxe ego, ut hic fastus caelo inuidiosus & astris,
Periura ambitio, seuque superbia vultu
Palleat, & summa cadat haud rediuiua ruina.

12 Non animas pretio appenso, gazae-ve redemptas
Seruare, aut vitam dabitur mercede pacisci,
Ferrum omnes, ferrum absumet, victorq; cruentus
Vindictam gemmis potiore ducet, & auro.

Vig.

13 *Vtq; Deo fieri credas hæc cuncta iubente,
Singulæque illius seruire elementa furori,
Ipsi etiam calorū orbēs, cameratæque mundi
Regia, præsentis Domini sub mole fatiscunt,
Et longo suspensa metu mortalia corda,
Ne cæli terræq; ruat compago, diemque
Supremum terris diuina det ira, timebunt.
Tum sibi quisque fuga celeri pedibusque salutem
Ambiguam quæret: fugientia barbarus hostis*

14 *Terga premet: velut umbrosis cum foris molossas
Immisit siluis venator, & ecce repente
Excita linguunt secreta cubilia dama.*

*Quæque nemus sonat horrificis latratibus, & quæ
Iiq; reditque canum fremulus, clamorque virorum,
Pallantes, nulloque duce, ignaræq; viarum,
Diffugiunt, pars tuta tenet, pars retia rara
Induitur: sic nota quibus diuortia, calles
Hostibus auersos ostendent, forsitan illi
Tecta paterna petent: redeuntibus obuia coniux
Et dulces nati dextras & brachia tendent.*

15 *Asi alios, quos aut error, casus-ve, Deus-ve,
Aut peritura urbis damnata in sede manendi
Importunus amor victori obiecerit hosti,
Barbaricus frustra concisos demetet ensis.*

16 *Flete pie matres, aderit qui pignora vestro
Rapta sinu, duris furiata mente satelles
Cotibus allidet, rorabunt sanguine vepres
Innocuo, & teneris sternentur compita membris.
Templa Deum, regumque domos, priuatæque tecta
Diripiet dirus miles, milèsque pudicas
Abreptas thalamis matres genialibus, ante
Ora maritorum mæstissima captiuorum
Substernet sibi, femineo nequicquam ululatu
Testantes superos, violatæque iura querentes.*

17 *Namque ciente Deo venient ad classica Medis
Aspera gens Medis, gens intractabilis armis,
Non pacem vendent auro, non tela recondent
Muneribus fracti, sed inexorabile ferrum,
Puberibus prius enectis, in paruula stringent
Corpora, perque artus teneros fera vadet arundo,
Maternique uteri disrupta per ilia, fætus
Ante diem expellet (dirum scelus) immaturos.*

18 *Hæc te fata manent Babylon, hic exitus in stat,*

13 Super hoc celum turbabo, & monebitur terra de loco suo; propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.

14 Et erit quasi damula fugiens, & quasi ouis, & non erit qui congreget: vnusquisque ad populū suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient.

15 Omnis qui inuentus fuerit, occidetur; & omnis qui superuenit, cadet in gladio.

16 Infantes eorum allidentur in oculis eorum, diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.

17 Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentū non querant, neque aurum velint: sed sagittis paruulos interficiant, & lactantibus vteris non misereantur, & super filios non parcat oculis illorum.

19 Et erit Babylon illa gloriosa in regno, incluta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit Dominus Sodomam & Gomorram.

Comparatio elegans & huic vati frequens & familiaris.

Explicat hic sese, & nominatim Medos se exciturum comminatur.

O nimium longos orbi dominata per annos
Chaldae regina soli, non alter ab illo

Quo Sodomae quondam periit meretrixq; Gomorra,
Ambae diuini prostratae fulminis igne.

20 Non habitabitur
vsque in finem, & non
fundabitur vsque in
generationem & ge-
nerationem: Nec po-
net ibi tentoria Arabs:
nec pastores requies-
cent ibi.

20 Ast ubi turrigerum telo caput icta trisulco
In cineremque altum prolapsa nigrâque fauillam
Funditus occiderit, nullis habitabitur annis
Illa ingens Babylon, nec restaurata resurget,
Sed desolata aeternum & deserta iacebit.

Ne verò, ne fessus ibi tentoria pastor
Fingat Arabs pecori-ve umbram, fontana-ve querant
Pocula vicini pastores, ducite saluos,

21 Sed requiescēt ibi
bestiae, & replebuntur
domus eorum draco-
nibus: Et habitabunt
ibi struthiones, & pi-
lofi falrabunt ibi.

Dum licet, hinc ad turâ greges. 21 hoc plurima salu
Bellua damnato stabulabitur, atque ubi regum
Tecta ebore atque auro nunc stant operosa, dracones
Cristati, nidumque feri ponent struthiones.

Hic etiam sera ducent sub nocte choreas
Capripedes Satyri, tectique pilis Siluani,
Monstraque multa alia humanas terrentia mentes.

22 Et respondebunt
ibi vlulae in aedibus
eius & sirenes in de-
lubris voluptatis.

22 Sape etiam carmen strix importuna per umbram
Ferule, & tristes in culminibus desertis
Stridebunt vlulae, responsabuntque biformes
Sirenes: Celeri fuge nauita litus auarum
Remigio, cerâque aures occludete naci.

Cap. 14.

1 Prope est vt veniat
tempus eius, & dies
eius nō elongabuntur.
Miserebitur enim
Dominus Iacob, & e-
liget adhuc de Israël:
Et requiescere eos fa-
ciet super humum
suam. Adugetur ad-
uena ad eos; & adhæ-
rebit domui Iacob.

1 Iamque dies, alterq; dies, irudentibus horis,

Prouoluent celeri fatalia tempora motu,
Et rata, quae populis verus denuntio vates,
Efficient: venietque dies labentibus annis,

Cum Deus omnipotens posita iam mitior ira

Respiciet placido Iudaeam lumine gentem,

Dispersamque leget variis è partibus orbis

Pubem Israël, tutâque in pace reponet,

Ad dulcem reuehens patriam charosque penates.

Multus eos innētis animis opibusque sequetur

Aduena, Diisque retro abiētis, quos ante colebat,

Hebraeos auidè ritus morumque sacrorum

Hauriet, ad seros quos transferet inde nepotes.

2 Et tenebunt eos po-
putli, & adducent eos
in locum suum. Et
possidebit eos domus
Israël super terrâ Do-
mini in seruos & an-
cillas. Et erūt capien-
tes eos qui se cepe-
rant: Et subiicient
tractores suos.

2 Non inhonorus erit populi comitatus euntis

In patriam, cum sacra canens, tabulasque vetusti

Fæderis ad Solymas referet feliciter arces;

Multi illum populi, multi deducere reges

Certatim optabunt, donisque onerare superbis.

Ipse triumphantis Iudaea per oppida cultu

Sirenium etiã
meminit hoc
L. co tradu-
ctio quam se-
quitur Cyril-
lus: quae Sire-
nes idem Ci-
ryllus inter-
pretatur ani-
malia suauiter
loquentia,
quorum in
numero dicit
Hebraeos ha-
bere noctuã.

Cap. 14.

Significat tē-
pus, quo Cy-
rus Cambysis
Persarum rex
captiuum po-
pulum redire
permisit. Ec-
cl. 1. cap. 6.

Religionis &
fidei Christia-
nae in gentes
propagatio.

Inuectus